

V C
1362





Q. D. B. V. 18.

Q. D. B. V.

Vc
1362

ORATIONEM VALEDICTORIAM

De

SIMULATIONE

ET

DISSIMULATIONE

In Schola Altenburgensi

XV. Kl. Jun. A. C. cl^o l^o LXXVII.

memoriter habendam

intimat,

utq;

Omnes rei literariae Fautores

ad audiendum frequentes confluant,

officiosè rogat

M. PAULUS MARTINUS SAGITTARIUS,

Rector.

ALTENBURGI,

Typis Gothofredi Richteri, Typogr. Aul.

*De simulatione Alberti I. Imp. erga
Fredericum Romanum et de eade
sua ab illo Altenburgi destinata.*



L. B.
S.

Vi tanto alicujus ar-
dent odio, ut, nisi cæde per-
petratâ, vix ac ne vix quidem
possit extingvi, commodio-
rem non repertum iri occa-
sionem sibi habent persua-
sum, quam si sub fallaci amicitia specie & simu-
latione adversarium in convivium vocent, blan-
dis verbis deliniant, & nihil insidiarum metuen-
tem inter epulas ac pocula miserè opprimant
ac trucident. Hujusmodi *simulationis* larva
usi leguntur *Absalomus* erga fratrem *Amno-
nem*, *Ptolomæus*, Præfectus terræ Jerichuntinæ
adversus socerum *Simonem*, Pontificem Judæo-
rum, *Agathocles* contra *Syracusanos* quingen-
tos imperium ejus ægrè ferentes, *Otto II.* Impe-
rator in *Romanis* seditiosis tollendis, *Wenceslaus*
Ignavus proceres Bohemiæ submovendo,
Christiernus II. Rex Daniæ ad Status Regni Sve-
cici, quorum nonaginta quatuor Stockholmiæ
A. 1520. convenerant, occidendos, ut & Comes
Leslaus, *Butlerus* & *Gordonus* complices *Al-
berti*, Ducis Fridlandiæ Egræ A. 1634. 15. Febr.
in



interficiendi gratia. Sed quid in recensendis exemplis peregrinis occupor, cum domesticum suppetat? Eodem enim simulationis genere *Albertus* I. Imp. *Fridericum Admorsum*, Marchionem Misniæ in colloquio & convivio hic instituto excipere decreverat, nisi fortuna potentior cædem destinatam avertisset, & *Fridericum* umbone omnipotentiae adversus sicarii telum clementer protectum salvum atque incolumem *Altenburgo Pegaviam* transportasset. Historiam totam, & quæ in ea controversa, hisce pagellis includere, meo sedet animo.

Cum *Dietericus*, Marchio Misniæ & *Osterlandiæ*, *Sapientis* cognomine insignitus, filius *Henrici Illustris* ex *Constantia Austriaca*, finem vitæ sibi instare, filiumque *Fridericum Tutam*, nulla prole mascula relicta, vivis excessurum videret, *Fridericum* & *Dicemannum* filios fratris *Alberti*, *Thuringiæ Landgravii* ex *Margaretha*, *Friderici* II. Imperatoris filia, quos à teneris educari curaverat, hæredes Misniæ & *Osterlandiæ* in tabulis testamentariis instituit, quarum vigore, extincto filio *Friderico Tutta*, in provinciis adductis succedant. *Albertus* filios sibi prælatos iniquo ferebat animo. Quapropter tabulas, quibuscunque poterat modis, impugnabat prætendens, provincias Agnati proximi, more gentium

recepto, ad se, non filios, spectare. Sed nihil proficiebat; Quo magis enim fratris voluntatem pervertere nitebatur, eò magis filii in possessione provinciarum confirmabantur, patrique cedere dubitabant fiducia decreti à *Rudolpho* I. Imp. promulgati ut & subditorum benevolentiae. Proinde aliam rem aggreditur via & Thuringiam cum Marchionatu Misnensi Imperatori *Adolpho*, ingenti pretio constituto, vendit. Quoniam verò filii huic venditioni intercedebant, neque se provinciis decessuros, conceptis affirmabant verbis, Imperator armis negotium tentavit, & exiguo temporis intervallo non Thuringiam solum, sed & nonnulla Misniae oppida, *Freibergam*, *Rochlitium*, *Bornam* aliaque expugnavit, & expugnata valido firmavit praesidio, idque opera patris *Philippi*, Comitis *Nassoviae*, egregiae in rebus bellicis fortitudinis. Interea dum Martis saevitia nostris in terris longe lateque grassatur, bellique apparatu omnia strepunt, *Adolphus* in praelio cum *Alberto* in campo *Vangionum* die *Petronellae* A. 1298. habito, *Alberti* ense cecidit, spe omnibus facta, cum *Adolpho* finem etiam bello detestando futurum. Sed spes delusit hiantes; *Albertus* enim bellum ab Antecessore inchoatum majori fervore persequi, & cum pelle leonina parum proficeret, vulpina uti coepit, felicius sic res successuras

ras

ras arbitratus. Hinc *Fridericum* vanis promissis de oppidis restituendis belloq; finiendo per Legatos & literas lactare, ipsiq; certam dare spem, omne dissidium ex voto iri compositum, quam primū cum ipso coram agere liceret. Imperator igitur ex Bohemia in Misniam descendens *Altenburgum*, urbem tunc temporis Imperialem, ingreditur collocuturus cum *Friderico*, cui & adventum nunciaverat, simulq; ut compareret, indicaverat. *Fridericus* mandato Cæsaris audiens cum paucis suorū, quos fidos fortesq; cognoverat, ad volat seq; Imperatori sistit, a quo comiter benigneq; habitus, ut mensæ accumbat, invitatur; & quoniam nihil fraudis aut insidiarum subesse putaverat, mensæ assidet, cibisque lautioribus, quos Imperator mira comitate & clementia condierat, lætus fruitur. Inter hæc satelles Imperatoris pretio conductus locum convivio destinatum latenter intravit, *Fridericum* de insidiis securum gladio evaginato petiturus: quo vilo *civis Altenburgensis* corpus suum ferro objecit, ictumq; Marchioni intentatum, *dextra* amissa & vulnere in latere dextro accepto, excepit. *Fridericus* motu repentino obstupescens è triclinio se clanculum subducit, fideq; civis cujusdam non illā solum nocte occultatur, sed & sub lucis ortum *vestitu fabri ferrarii* ex-

tra portā Johanneā ducitur ac per Forestum Camerae tendens Pegaviae eodem die sospes advenit insidiarū à Cæsare structarū nuncius. Imperator ministros Friderici adhuc superstites (multi siquidem cæsi erant) & vinculis irretitos dimittit, ut cædis suspicione se liberet. Atq; hâc ratione *Albertus* in simulationem, quantum quantum fuit, compositus *simulatione* erga *Fridericum* usus est: sic *Fridericus* Dei providentia & civis Altenburgensis fide adjutus eandem elusit. Hæc de Historiæ narratione.

Quemadmodum verò in rebus Historicis vix duos aut tres Historicos reperies, qui iisdem circumstantiis factum recensent: ita & in hujus Historiæ recensione eos multum à se invicem discrepantes deprehendes. Cum enim certò certius sit, *Albertum* Imperatorem insidiarum laqueos Friderico posuisse, en! quidam *Adolphum* substituunt, quos inter Georg. Fabriti⁹ l. VI, Or. Sax. f. 614. Wolffg. Krauß in Chron Misn. p. 21 [qui tamē in Stemmatogr. Domus Sax. p. 102. *Albertum* nominat] Petrus Albinus in Annal. Altenb Mssis & Joh. Hirschold, Consul quondam hujus oppidi de patriâ & ipsius Historiâ præclare meritis in Coll. Msstis.

Quoad locum insidiarum, qui Altenburgum, omnes consentiunt, si Johannem Manlium exce-
pe-

peris in Collectan. p. 601. Magdeburgum adducentem. Quibus verò in ædibus Friderico paratæ fuerint insidiæ, nondum certo patet. Andr. Mollerus in Annal Freib, p. 47. & Tob. Schmidt II. Chron. Cygn. Part. II. p. 181. *arcem* allegant: vulgaris traditio *diversorium urfi nigri* figura in foro conspicuum & alii *ades Bernsteinianas* in ea fori parte, quæ Septentrionem respicit, sitas, ut se audivisse refert sedulus Historiæ patriæ compilator M. Joh. Tauchwitz / Pastor olim & Adjunctus Monstabiensis in Collect. Msstis. Prima, quam adduxi, opinio fidem præ cæteris videtur mereri. Imperatorem enim libentius in *arcem* pro statu illius temporis situ & opere probe munitam, quam *oppidum* divertisse quivis credet, nisi obstare existimet, Fridericum ex arce præsidio firmata non ita commode potuisse elabi. Nec altera obelisco est notanda, quod *Fridericus* opera hospitis ex diversorio in aliam domum translatus dicatur Joh. Garzoni in vita Friderici Admorsii. Clariora autem hæc fient, si prius constiterit, num *Fridericus* eo, quo occidendus, tempore in Alberti, an vero suo hospitio cibum ceperit? Prius asserunt Joh. Garzon I. c. f. 401. ed. Lips. Paulus Langius Chron. Citic. f. 822. Wolffg. Kraus I. c. Philippus Melanchton I. V. Chron. f. 558. Matth. Dresserus Isag. Hist. f. 958. & Abr. Cauer
in

in Poligr. p. 23. Posterius verò Cyr. Spangenbergi⁹
Chron. Mansf. c. 276. p. 326. Binhard. Chron. Thur.
p. 224. Joh. Sidler/Chron. Mugell. p. 86. & Andr.
Toppius Pastor Tenstedensis in Antiquitatibus
Altenburgensibus Msstis c. 9. n. 4. Primæ classi in
enarratione Historiæ supra accessi, non tam ob
clarissimorum Virorum in rebus Historicis fi-
dem & autoritatem, quam quod multi mini-
strorum Friderici à Cæsareis fuerint occisi plures-
que adhuc capti. Quî autem fieri hoc potuis-
set, nisi cædem in triclinio Imperatorio peragen-
dam dicamus? Si enim in Friderici hospitio, à
quo tot aulicorum necati captique? Ab uno fa-
tellite? Nemo fidem dabit. Is ipse enim sub
turbarum initium à ministris Friderici vulneri-
bus confectus perhibetur. Neq; vero videtur
simile, Fridericum non cœnaculo solum, sed &
diversorio ob unicum sicarium excessisse.

Quod *civis Altenburgensis* ictum excepe-
rit, supra indicavi secutus Albinum in Annal.
Altenb. Dresserum & Saurium l. c. nec non Laur.
Peccensteinium part. III. Th. Sax. f. 132. Celare
autem neq; eo, Fabritium l. c. Joh. Boccerum
carmine de Freiberga. Henr. Buntingium Chron.
Brunsv. f. 571. Joh. Bechererum Chron. Thur. p.
318. Peccensteinium prof. Famil. Witik, f. 8. & An-
dr. Mollerum Annal. Freib. p. 47. gloriam libe-
ra

rationis *civi* cuidam *Freibergensi* vendicare.
Fidem meæ sententiæ facit *insigne oppidi* nostri,
quod in area rubrâ *manum* exhibet *amputatam*,
certissimum fidei Principi à cive Altenburgensi
præstitæ indicium. Quis autem Principum
manum insigni adjecerit, certò definire nequeo.
Majorum traditione accepimus, *Friderico Ad-*
morso id ferri acceptum. Kreichenius, Orga-
nædus Aulicus in Coll. Altenb. ad Diploma Fri-
derici provocat, quod tamen mihi videre non-
dum licuit: necullo etiam tempore visurus
sum, cum tales Friderici literas Altenburgum
nunquam viderit, ut ex sequentibus clarius pa-
tebit. Si *Inscriptiones Curia* nostræ eleganti &
artificiofa structura conspicuæ perlustro, *Friderico Strenuo*, Friderici Admorfi nepoti tribui de-
bere deprehendo, utpote qui *Aquila* loco tur-
rim Leone nigro insignem, *manum & rosam*
Altenburgo A. C. 1350. dicitur concessisse. As-
sensum prius præbui, quem tamen paulò post,
inspectis sigillis Diplomatum ab Amplissimo Se-
natu quondam appensis, revocavi. In sigillo
enim, quod literis A. C. 1358. Festo Trium Re-
gum olim alligatum, sed nunc malitia, nescio
cujus, abscissum, *Aquila* comparuit. Sic &
sigillum literarum, quibus jam laudatus Senatus
contractum cum Anna Schultheissia ejusq; filio
nato majore Johanne de Judicio oppidano ini-
B tum

tum die S. Thomæ A. C. 1397. confirmavit, *turrim*
solum, non *manum* aut *rosam* visui nostro præ-
bet. In reliquis sigillis literarum A. 1414. 1462. &
1466. scriptarum, quarum quidem copia mihi
fuit facta, nullam in area observavi *manum* aut
rosam, sed *parvos Leones*. Quod verò literis
feudalibus Capituli B. Mariæ & Senatus ob spa-
tium supra Sacrarium prope S. Marthæ ædem in
vico Johanneo Conrado Trillero concessum,
adhæret sigillum, *Leonum* loco *manum* atqve
rosam exhibet. Atqve ex his probabili conje-
ctura collegi, non *Fridericum Admorsum*, neq;
ejus nepotem *Fridericum Strenuum*, sed *Margaretham*,
Ernesti Ferrei, Archiducis Austriæ fi-
liam, Friderici III. Imp. sororem, & Friderici
Placidi, Electoris Saxoniae conjugem pro sua in
oppidum nostrum clementia & munificentia
nunquam satis de prædicanda, *manum* & *rosam*
dedisse.

Cæterum, quæ *manu*, *rosa*, *turri* & *leone* in-
dicentur, eleganti disticho M. Michael Reifiger/
Syndicus quondam hujus loci expressit, quod in
Curia juxta insigne Altenburgense olim com-
paruit his conceptum verbis:

Dexteritas *dextra*: virtus sed *Flore* notatur:
Dat *Turris* nomen: sed *Leo* mente viget.
Tandem de *tempore* pauca veniunt notanda.
Dresserus in Poligr. p. 81. Peccenst. p. III. Th. Sax.
f.

f. 132. aliiq; Historiam memoratam ad A. C. 1297.
referunt in hoc sibi contrarii, quod quidam A-
dolphum, alii Albertum nominent. Qui Adol-
phum malunt, humani quid passi esse videntur, ut
in superioribus declaratum. Nec alienos ab eo-
dem esse puto, qui Albertum allegant; Nam A.
1397. Albertus dignitate Imperiali nondum gau-
debat, quā demum anno sequente consequeba-
tur. Rectius ergo sentire videntur, qui infidias
Friderico collocatas in A. 1305. cum Paulo Langio
l. c. reponunt, aut in A. 1306. uti Sethus Calvicius
Op. Chronol. f. 738. Gabr. Bucelinus T. 1. Germ.
Sacro-prof. part. 1. f. 104. aliiq; ve. Ne plura addam,
pagellarum vult angustia & laudabilis cona-
tu, quem Juvenis ob morum probitatem, bonam
indolem & eximiam spem, quam de se in ætate
juvenili pollicetur, cujusvis favore dignissimus

JOH. ANDREAS Vater/

Viri infucata pietate, antiqva fide, prudentia &
dexteritate in rebus peragendis famigerabilis
Dn. JOH. SEVERINI Vaters/ *Collectarum*
Provincialium Logista dexterrimi, Fautoris,
Compatris atq; Amici mei honoratissimi, filius
natu maximus divina adjutus gratia suscepit;
Hic enim studiorum sedem in Illustre Tilietum
ex patriâ translaturus suas in eloquentia & Phi-
losophia Morali vires experiri, & accurato Viro-
rum literatorum judicio submittere voluit, Ora-


B 3

ti-

AK 7c 1302

tionē de SIMULATIONE ac DISSIMULATIONE, *quatenus licet*, privatos intra parietes conscripta, & ad diem crastinum, qui feliciter illucescat, H. L. Q. S. ἀπὸ σοφῶτος recitanda. Ne autem laborem atq; diligentiam frustra se impendisse autumet, vestro, Musagetæ optimi, accessu efficietis: certum beneficii nomen non petit, præsentiam vestram & consuetam in audiendo attentionem petit, neq; impediet, quo minus, si ita placuerit, vestro applausu pioq; voto eum ornetis, quo à suis etiam commilitonibus mactabitur; Nam DAVID HEINR. Brandt/ Altenb. carmine *Ebraeo*, BERNHARDUS Müller/ Rhodanus, *Græco*, JOH. CHRISTOPH. BARTHOLOMÆI, *Plav. Latino*, LEONH. JOH. à Braunschweig, Patritius Lunenburgensis *Latino*, sermone legibus metricis soluto & HERM. GEORG Schwarze/ Schoeninga Saxo versibus *Germanicis*

abiturientem excipient bona quæq; apprecantes. Agite proinde, Musarum Patroni atq; Fautores colendi, & honesto Perorantis petito facilem date locum. Uti Venerandum ipsius *Parentem* in studia atq; officia vestra propensum hætenus vidistis: ita tantum abest, ut à sua inseruendi iuvandiq; promptitudine vel latum unquam recedat, ut potius occasionem operam suam vobis deferendi lætus amplectatur. Valete!
P. P. Altenburgi XVI. KL. Junii A. C. MDCLXXVII.



ne



qua-
ta, &
H. L.
orem
met,
cer-
n' ve-
nem
erit,
vò à
Nam
eo,

atino,
rgena
&
verfi-

can-
au-
faci-
Pa-
sum
fer-
un-
su-
ete!
il.

ULB Halle

3

004 778 766



V. 107





d. xv. 18
M. xv, 18.

ORATIO

SIMU

DISS

In
xv. K

Omn
ada

M. PAU

Typis
*de simu
frideri
huic a*

Vc
1362

ORIAM

ONE

ONE

fi
XXVII.

tores
ant,

TARIUS,

I,
ogr. Aul.

*Imp. erga
de caede
destinata.*

